

Van der Steen

De Sacerdotio Ministeriali

Relatio circuli Anglici "C" de quaestionibus practicis.

Nota praevia

Circulus Anglicus "C" unanimiter postulat ut relatio synodalis forte publicanda
conscrribatur stylo pastorali et lingua quae a presbyteris et a populo facile intel-
ligatur. In eiusmodi documento sollicitudinem nostram curamque pastoralem exprimamus.

=====

Circulus noster ordinem secutus est qui indicatur in synthesi interventionum
 quae in aula factae sunt de quaestionibus practicis. Initium sumpsimus a prob-
 lematibus practicis quae proponuntur inde a pagina vicesima prima synthesis.
 Neque tamen omnes quaestiones penitus explorare potuimus.

Problema I - De evangelizatione et sacramentis (pp.21-22)

In enucleando statu quaestioneis (p.21) consensimus verbum et sacramentum
 unitatem habere intrinsecam in missione presbyteri qua missio salvifica Christi,
 Verbi incarnati, continuatur.

De quinque quaestionibus ibi propositis haec praecipue notanda sunt:

+ De relatione inter sacramenta et vitam christianam (quaestiones a) et b))

dicendum symbolismum sacramentalem populo christiano ita esse accomodandum

ut clare exprimat id quod significat. Videtur esse necessaria ulterior rituum
instauratio, ad normam Sanctae Sedis promovenda, ad quam etiam religiosi et laici
multum conferre possunt.

+ Ad aequilibrium inter verbum et sacramenta servandum (quaestiones c) et d))
vitandus est omnis "extremismus" sive quis insistit in ritualismo ita ut verbi
praedicationem negligat, sive quis verbi praedicationi et testimonio vitae unice
sese dat ita ut sacramenta negligat.

+ De ministerio in parvis communitatibus adimplendo (quaestio e)) dicendum
eiusmodi communitates actuosas iam existere vel etiam ex industria promoveri
posse, ita ut ministerium verbi et sacramentorum efficacius evadat in parvis
communitatibus homogeneis vel heterogeneis. Omnia tamen fiant ad normam legum
a competenti auctoritate ecclesiastica statutarum.

Problema II - De ministerio pastorali et saecularibus operositatibus.

In statu quaestionis attendendum est ad varia genera operositatum saecularium
 quibus presbyteri incumbunt. Quaedam operositates directe sunt apostolicae, aliae
solummodo indirecte quatenus presbyteri etiam in victu quaerendo ministri sunt /?
Christi.

1. De labore civili sacerdotis (pp. 22-23)

Quattuor propositiones (pp.22-23) nobis placuerunt dummodo intelligatur ministerium pastorale ex sese plenam presbyteri requirere dedicationem, operositates vero saeculares pro condicione temporis et loci admitti posse si ex iudicio auctoritatis ecclesiasticae localis ad ministerium pastorale exercendum utiles esse videantur.

2. De actione politica sacerdotis (p.23)

Iudicium de actione politica presbyterorum idem est ac de operositatibus saecularibus. Sedulo tamen notandum in hoc capite non agi de testimonio personali propheticorum presbyterorum contra iniusticias sociales quia eiusmodi testificatio ad ipsum ministerium pastorale pertinet.

Cavendum est ne actione presbyteri pro factione politica communitas christiana dividatur.

Propositiones a) -c) placuerunt prout stant. "Militantia" activa (ut in propositione c)) diudicanda est ex munere et missione Ecclesiae in hoc mundo. Actio enim presbyteri in re politica determinatur hac missione. Semper de consensu episcopi agendum est.

Quaestionibus (p.24) respondendum est in luce solidarientatis presbyteralis potius quam pro singulis presbyteris.

a) Ad inserendam actionem politican vel saecularem presbyterorum in universum

Ecclesiae munus necessarius videtur dialogus veri nominis tum inter membra presbyterii tum inter presbyterium et Episcopum.

b) Omnes presbyteri tum ii qui omne tempus pastorali impendunt ministerio tum ii qui ad speciales operositates sunt dimissi mutuo sese prosequantur honore quia utrisque locus patet in vasto campo ministerii sacerdotalis et utrisque debetur honor.

Problema Tertium III - De Corresponsibilitate in actione pastorali (pp. 24-25)

1. De relationibus inter episcopos et sacerdotes (pp. 24-25)

Duae praecipuae difficultates oriri videntur: ex nimia magnitudine dioecesium, qua familiaritas inter episcopum et presbyteros impeditur, et ex suspicione quorundam episcoporum qui timent ne auctoritas episcopalnis novis institutionibus dialogi minuatur.

a) Cardo fraterni dialogi videtur esse in Consilio presbyterali. Usu episcopi et presbyteri discent quomodo Consilium presbyterale finem a Concilio Vaticano II propositum consequi possit.

b) Optandum ut Episcopus Consilio presbyterali intersit. Neque tamen necessario ei praesidet. Necessaria est accomodatio ad condicionem loci et temporis.

c) Notandum est in dioecesibus parvis quoad extensionem geographicam et quoad numerum christifidelium atque presbyterorum faciliorem esse harmoniam et dialogum inter Episcopum atque presbyteros.

Dioeceses parvae circa sedem metropolitanam ordinari possunt sicut laudabiliter
factum est Intetiae Parisiorum. In parva dioecesi omnes presbyteri Consilio presbyt-
 erali interesse possunt neque episcopus nimia administratione submergitur sed cum
 presbyteris agere atque deliberare potest.

Ubi primum inter episcopum presbyterosque intercesserit consuetudo personalis,
odiosae quaedam consuetudines "burocraticae" cessabunt, et nominatio vel correctio-
non litteris sed colloquio fraterno fieri poterit.

d) In tractanda relatione presbyterorum ~~cum~~ Conferentia episcopali vel cum Consiliis
 nationalibus distinximus inter presbyteros ~~diocesanos~~ ^{diocesanos} et religiosos.

Circulus commendat ut quidam presbyteri dioecesani et religiosi deliberationibus
 Conferentiae episcopalium tamquam auditores intersint. Secretum quo eiusmodi deliber-
 ationes saepe velantur ansam praebet suspicioni qua nutritur tensio.

Presbyteri religiosi similiter ac presbyteri dioecesani cordi sint episcopi cum
 et ipsi membra sint presbyterii. Ad fovendam communem solidarrietatem utile immo
 necessarium esse potest statim convenire temporibus. Placet parvulus coetus mixtus
 de ~~quo~~ ^{quo} ~~qui~~ mentio fit in synthesi (p. 25).

|| Religiosorum fratrum atque religiosarum iura et officia ab episcopo sancte obser-
 ventur.

e) De consociationibus presbyterorum circulo placent ea quae dicuntur in "Lineamenta"

in Lineamentis argumentorum, de sacerdotio ministeriali (pp.42-43). Memores

tamen simus presbyteros multo minus ad consociationes praeter vel contra voluntatem

episcopi ineundas inclinare si episcopus denique tandem ad rem ducat ea quae

Concilium Vaticanum II de consilio presbyterali sapienter constituit. "Arma cedant

togae", id est contestatio cedat consultationi.

Presbyteris ius competit libere sese consociandi privatim. Si tamen agatur de

consociationibus pro fine religioso vel pastorali, consociatio a competenti auctoritate ecclesiastica approbetur.

f) Vehementer urgendum est ut decretum Concilii Vaticani Secundi de consilio

pastorali, in quo totus populus Dei reprezentetur, ad rem ducatur.

2. De relationibus inter sacerdotes et laicos.

Consensimus laicos pro necessitate ea omnia ministeria pastoralia exercere posse

quae non sint stricte sacerdotalia.

Presbyteri adiutorium praebere possunt communitati christiana a qua vicissim
adiuvantur. Natura et qualitas huius adiutorii pendent a statu sociali vel culturali
tum
presbyterorum tum laicorum.

Non rare fideles minus culti a presbyteris ad laicos peritos remittendi sunt ut
ab eis iuvari possint. Eadem regula vaget in re politica in qua a presbytero prin-
cipia evangelica et a laicis consilia practica proponantur.

Ne negligatur in his rebus testimonium commune christianorum secundum principium illud oecumenicum ne separati faciant id quod coniunctim facere possunt.

Problema quartum IV - De Sacerdotio et Coelibatu (pp. 26-27)

a) Reflexiones generales de coelibatu (p.26)

Circulus noster petit ut in documento synodali rationes biblicae atque theologicae exponantur quibus positivus atque eschatalogicus valor coelibatus in luce ponitur. Insistendum est in animi fortitudine.

Agnoscantur etiam difficultates atque causae ob quae crisis hodierna in hac re orta est. Notandum est: primo - coelibatum est signum quod congrue loco collocari debet inter alios valores evangelicos inter quos eminet paupertas et humilitas. Secundo, argumentum ex maiore disponibilitate presbyterorum coelibum desumptum non multum valet apud adulescentes hodiernos qui vident quoties laici in industria moderna de loco ad locum moventur. Tertio, presbyteri saepe non ad matrimonium ineundum relinquunt ministerium sed relicto ministerio postea tandem de matrimonio cogitant. Quarto, verae rationes pro coelibatu saepe sunt minus "ideales" quam rationes quas affert Relatio de quaestionibus practicis (pp. 24-25).

Crisis hodierna praetermissis aliis causis oriri videtur:

- ex defectu spiritualitatis qui in multis presbyteris observatur
- ex mutatione rapidissima mundi hodierni

- ex defectu formationis (quia presbyteri non sunt praeparati ad adeundas modernas mutationes mundi)
- ex collapse murorum qui prius coelibatum protexerunt.

b) De ordinatione virorum uxoratorum (pp. 26-27)

Inde ab initio propositum est ut positio prima in synthesis approbaretur, omissis verbis "in actuali momento". Verba haec omittenda ne confusio de futuro statu in mente presbyterorum iuniorum vel seminaristarum oriatur.

Propositio haec novem Patribus placuit; octo Patribus non placuit, duo Patres a voto abstinuerunt/

Numero magno Patrum sententia proposita ideo non placuit quod putaverunt circulum
non considerasse debito modo secundam et tertiam in synthesis expositas positiones.

Deinde propositum est ut ad positionem primam supra indicatam adderetur haec sententia "Si quidam casus apparet exceptione dignus ad Summum Pontificem referatur."

Haec secunda propositio undecim Patribus placuit, tribus Patribus non placuit, quinque Patres a sententia ferenda abstinuerunt.

Problema Quintum V - De Vita Spirituali Pastorum. (p. 27)

Propositio quam synthesis in pagina vicesima septima commendat omnibus placuit.

In documento tamen fusius exponenda est haec propositio ad mentem Relationis de
quaestionibus practicis (pagina vicesima secunda) Septemdecim Patres praeterea

postulaverunt ut insisteretur in oratione personali et in paenitentia.

Problema Sextum VI – De retributione & economica sacerdotum (p. 27)

Omnes consenserunt normas tantum valde generales statui posse a Synodo propter magnam varietatem condicionum quae aliae in aliis nationibus sunt.

Tempus nobis defuit ad tractandum problemq; septimum de praeparatione hodie ad sacerdotium necessaria.